

in quo iterum febris retrograda matutina invadit. Interdum autem permutatim haec irruit, quum diebus imparibus deterius affligat, quam paribus veniens, quando etiam sat molesta quidem est, non autem judicata difficilis; interdum vero continua magis decurrit, quam remittit; plerumque etiam decursum suum longum impetuofum imminuit; interdum horam mutat invasionis molestae; attamen et talis existens semper alternis diebus sibi similis irruit, atque pariter formam acutae alternatim induit; haec quae signa semitertianae valde manifesta sunt. Quae quoniam alternis diebus semper sibi similis irrumpendo decurrit, merito tertianae nomen nanciscitur; cum vero inrermedia sit inter febrem intermittentem et continuam, pariter quippe ac talis quotidiana alternis diebus insilit, atque utriusque dimidiatim formam et indolem nata sit, belle et scienter semitertiana nuncupatur.

§. 5. Ab ineunte itaque ea usque ad diem sextum talia signa sunt, talique ea decursu invadit hominem vexans. Verum vomitus biliosi spontanei, irrimisque simul ventris similes fordes,